

solito institutoque egressam virginem in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, subito imbribus tonitribusque, quae cum illa erant, disiectis a Marte compressam conturbatamque, mox recreatam consolatione dei nomen suum indicantis affirmantisque ex ea natos dignos patre evasuros.

2 Primum igitur Amulius rex, ut comperit Rheam Silviam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad aquam profluentem atque eo abici.

3 Tum illi, quibus id imperatum erat, impositos alveo 10 pueros circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus stagnaverat, abiecerunt eiusque regionis subulcus Faustulus speculatus exponentes, ut vidi relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhaesisse ad arborem fici puerorumque vagitu lupam 15

□ excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos deterrisse, dein levandorum uberum gratia mammas prae-
buisse, descendit ac sustulit nutriendosque Accae Larentiae, uxori suaे, dedit, ut scribunt Ennius libro

4 primo et Caesar libro secundo. Addunt quidam Fau- 20 stulo inspectante picum quoque advolasse et ore pleno cibum pueris ingessisse; inde videlicet lupum picumque Martiae tutelae esse. Arborem quoque illam Ruminalem dictam, circa quam pueri abiecti erant, quod eius sub umbra pecus acquiescens meridie ruminare 25 sit solitum.

21 At vero Valerius tradit pueros ex Rhea Silvia natos Amulum regem Faustulo servo necandos dedisse, sed eum a Numitore exoratum, ne pueri necarentur, Accae Larentiae amicae suaे nutriendos dedisse, quam mulierem, eo quod pretio corpus sit vulgare solita, lupam dictam. Notum quippe ita appellari mulieres quaestum corpore facientes, unde et eiusmodi loci, in